

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 62. (*Neovidensis* 1805. Nro. 59.)

*Secretum litterarum commercium vivos
inter, ac mortuos.*

Epistola missa Justino Jehne ad Elysium.

Ex mundo superiore.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 6. Aug. 1805. (*Neov.* 23. Julii.)

In ita amatis Ephemeridibus Moguntinis legi
nudius tertius scriptum cum hac inscriptione :
Instructio Præceptoris a Joanne Paul. Cum tu
in hoc munere partem vitæ transegeris, ap-
pello ad tuam experientiam, an Joannes Paul
in hoc genere rite sit versatus. Ita autem
habet :

Si tuus forem, profecto consideres, &
has mihi vivendi præscriberes regulas.

Historia naturalis sit panis sacharo con-
ditus, quem Pædagogus puero, ut eum in-
scet, primis proponat horis, & sic historias

ex historiis, dummodo non ipsam historiam. Quid enim non posset alma hæc Dea ex nobis facere, cujus templum in meris constructum stat sepulcris, si tunc nos primum alloqueretur, quando jam apti essemus intelligendis illius immortalibus nominibus — Patria, Populus, Imperii forma, Lex, Roma, Athenæ?

Geographia est salutaris cibus puerilis ingenii; Arithmetica etiam, & Geometria pertinent ad primas scientias, non, quod doceant cogitare, sed quod non doceant, (sæpe maximi Ratiocinatores, Differentiarum examinatores, & Mechanici sunt miseri Philosophi) & quia intensio non debilitat vires, uti hoc in arithmeticis versati abunde comprobant.

Philosophia autem, seu meditatio nimia, mortifera est prolibus, vel in perpetuum obtundit intellectum. Virtutem, & religionem apud proles in sua prima principia dissuere, idem est, ac homini pectus aperire, & eximere cor, ut pateat, quomodo palpitet. — Philosophia non est studium merendi, sed animæ cibus, & sicut non potest amor doceri, ita nec illa; utraque præmature frangit animi, & corporis vires.

Placet mihi tua propria declaratio: Tu idioma gallicum præmitteres latino, & usum

loquendi regulis grammaticis, tardius dein linguis condiscendis dares operam, quod hæ magis intellectu, quam memoria comprehendantur. Lingua Latina mihi ideo difficilis apparet, quia mature occurrit; anno ætatis decimo quinto tantumdem in ea fit digito, quantum prius integra manu.

Turpe est, jam etiam nostras proles cogi ad legendum, & sedendum, ut sic fundamentum jaciant futuræ suæ educationis. Doctus liber non supplet vicem Magistri; neque jocularis joci lusus sanitati magis conducens. Poësis ab imberbi adolescentulo non intelligitur, & obest valetudini; Magister prælegens miser sit oportet, si clarius non loquatur: verbo, apage cum omnibus puerorum libris.

In pædagogicum librum ambo scriberemus: *Frustra culpare est pejus, quam non culpare.* Vitia ætatis non carpat Magister, qui cum gravioribus habet ad agendum. Eorum Catechismus sit Plutarchus, & Feddersenius (absque tamen ejus humili stylo) hoc est, omitatur doctrina morum, sed fiant narrationes juxta eam, — & hoc quidem non certa, determinata quadam hora, sed apta, ut caput mearum prolium non sit vocabularium rerum ad moralitatem pertinentium, sed receptaculum veræ virtutis.

Cum timidus, coactus, & anxius modus se gerendi sit, stupidissimus, & minime naturalis, optimum docebis, si nullum præceperis.

Id unum te vehementer oro, ut maxime jovialis sis in mea domo. Jucunditas est suavissimus modus juvenibus scientias ingenerandi. Meæ proles coram te jocentur, loquantur, & sedeant pro suo volupe. Nos adulti cum omni nostra prudentia non sustineremus una hebdomade scholasticam restrictionem, quam tamen desideramus a juvenibus, quorum venas formicis repletas scimus. In summa: estne pueritia tantum laboriosa præparatio ad celebrandum diem dominicam provectionis ætatis? Vel non habetne illa etiam propria sibi gaudia? Eheu! si in hac miseriarum valle non spectamus quodlibet medium ut proximum finem (sicut quemlibet finem, ut remotum medium) quid, quæso, tandem reperiemus? — Tuus Principalis (exosum verbum) non minus gaudium sensit ex suis sponsalibus, quam matrimonium!

Jucunda instructio non adimit pueris intensionem, sed excitat animi affectionem, quæ ad summam ducit attentionem, eamque faciliorem reddit. Huc non valent tristes affectus, metus reprehensionis, & pœnæ — lætissimæ spes vitæ (dempta externarum prærogativarum laude) multo minus nocent pro-
nibus, quam reprehensis, contra quas nullus

adolescens potest animum obdurare, minime bonæ spei.

Hæ sunt itaque regulæ, quas Joannes Paul Pædagogo observandas præscribit. Proh dolor! tanta jam circumferuntur de educatione opera, ut ea vix, ac ne vix quidem posset capere vasta bibliotheca. Sed estne illa per id emendata? vel dulcibus tantum speculationibus referta? Suntne nostri heruli meliores, prudentiores, solidioresque effecti?

Sine dubio necessarium esset erigere talia Instituta, in quibus ipsi educatores, seu sic dicti Præceptores formarentur, qua enim origine nati veniunt ad hoc officium, aut cui stemmati propriam adferunt educationem? Plerumque pauperes litterarum studiosi huic admodum arduo vitæ generi ex necessitate se addicunt, ubi, amabo, didicerunt isti receptam hodiernis moribus vivendi rationem? Nolim huic rei diutius immorari, hoc certum est, plerosque pædagogos magis indigere pædagogis, quam eorum discipulos. Ratio in promptu est: Hi etenim domi suæ, in abundantia rerum, omnia elegantiora, inde a summo usque ad imum reperiunt; illi contra in egestate, & agresti vita constituti, illud sublime hujus sæculi nec experiri poterant, nec eidem assuefieri.

Sed satis de hac materia, plura alias. Nostra Politica etiam ita est in præsentiarum

comparata, ut nullum nanciscatur pacis Præceptorem. Tractatus Domini de Novosilzoff abruptus est, Berolino jam discessit Petropolim. Bellum maritimum fervet, & quis scit, quonam adhuc sit evasurum. Gallia interim novis internis institutionibus distinetur, uti hoc ex Universalibus rerum novarum Commentariis patet.

Recrudescit sermo de imminente mutatione tam in civili administratione, quam etiam judiciaria. Indubitatum quidem est, his negotiis occupari sectiones Status Consilii, & quidem illam, quæ curat interna, rebus ad primam classem pertinentibus, illam autem, quæ ad potestatem legislativam spectat, mutationibus secundæ classis, attamen constat, usque hodie nihil certi esse constitutum. Novæ designationes, quas Status Consilium in deliberationem sumpsit, ad sequentia capita reducuntur: 1) Ut hætenus vigena constitutio de Præfectis, & Pro-præfectis retineatur, cum hac tamen differentia, ut pro quolibet Circulo specialis Pro-præfectus nominetur, quod hætenus in primario Circulo uniuscujusque provinciæ, in quo Præfectus residebat, locum non habuit; Præfectus enim debebat etiam functiones Pro præfecti peragere. Hac de re conquesti sunt plerique Præfecti, atque in suis annuis relationibus Gubernio factis proposuerunt necessariam esse in præcipuis Circulis nominationem specia-

lium Pro-præfectorum. 2) Ut quilibet pagus suam habeat Magistratualem personam, cui in certis Communitatis negotiis Assessor adjungatur, quo facto Communitatum præpositi, exceptis majoribus communitatibus, penitus cessabunt. 3) Ut eodem modo municipales Consilarii, in qualibet Communitate habiti, tollantur, & in eorum locum consilium pagi, cum iisdem juribus substituatur. — Id etiam, ut certum, narratur, Imperatorem velle totam Galliam in 12 Generalia Gubernia dividere, & Gubernatoribus in certas provincias inspectionem concedere. — In re judiciaria præcipua mutatio id continet, ut sublatis Circulorum judiciis Provincialia tribunalia restituantur. Pacis judicia nihilominus conservabuntur ea cum modificatione, ut pagorum, quorum quilibet jurisdictioni specialis pacis iudicis suberat, auctoritas augeatur, qua de causa plures pagi sua potestate privabuntur. Pluribus pacis iudicibus prærit supremus, cujus iurisdiclio se potissimum ad causas capitis exporriget. Cæterum omnia hæc consilia talia sunt, ut habita uberiore consultatione varias possint subire vicissitudines.

B I O G R A P H I A.

Jehme (Justinus, Henricus, Samuel.)
bene meritus linguarum interpres, natus est

Altonaviæ A. 1747. 8. Octobris. Vittenbergam delatus A. 1766. invitatus tractavit studium jurisprudentiæ, verum A. 1768. transiit Hallam, Theologiæ, in quam singulari inclinatione voluntatis propendebat, audiendæ causa, ubi tribus annis in orphanotropeo etiam præclara posuit merita. A. 1771. evocatus fuit Hafniam, ut domesticum ageret informatorem. Cum autem eodem anno in Christianeo Collegio Altonaviensi mutatio rerum intervenerit, 5. Octobris rediit, factus Subrector, A. 1776. Conrector, & cum fine ejusdem anni Professor, & Rector. A morte Duschii obtigit eidem altera quoque scientia tradenda; videns tamen in Christianeo præsertim post obitum Teddercenii varia suis intentionibus adversari, petiit sibi conferri munus Curatoris animarum Nienstadii prope Altonaviam, quod etiam obtinuit A. 1791. 14. Augusti. Quam insigni fuerit linguarum cognitione præditus, docent editæ ab eodem diversæ Grammaticæ: Græca prodivit A. 1782. altera autem ejusdem editio A. 1791. Hebraica publici juris facta est A. 1790. Germanica denique A. 1791. Excellens præterea fuit sacer orator, æquus, & justus, atque accurate, & ad amussim implevit omnes officii sui partes. A. 1794. 18. Martii vivere desiit.